



**Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quâ tractatur de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, ac Sacrificio  
Missæ, ...

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1667**

Concl. VIII. A præcepto jejunii excusat necessitas accipiendi Viatici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73377)

ante illam soleant hujusmodi hostiæ, volentibus communicare distribui.

Atque hæc dicta sint occasione necessitatis perficiendi Sacrificii, quam omnes admittunt excusare à præcepto jejunii. Sequitur casus infirmitatis, de quo, cum communi sententia dico:

### CONCLUSIO VIII.

A præcepto jejunii excusat necessitas accipiendi Viatici.

96.  
Probat  
Concl. ex  
communi  
præsi.

**P**robatur maximè ex communi usu totius Ecclesiæ, nullo prorsus contradicente. Nam ratio Vasquezii disp. 211. cap. 4. nu. 35. quia cum instet præceptum majoris multò virtutis & obligationis, eò quòd divinum sit, potiùs hoc, quàm illud de jejunio, quòd Ecclesiasticum tantùm est, servari debet; hæc, inquam, ratio (præterquam quòd satis probabile sit præceptum Viatici solum esse Ecclesiasticum) nimium probat, & ideo nihil. Ostendo; quia probat in articulo mortis posse, imò debere sacrificari ad dandum Viaticum, etiam sine vestibus sacris, quoniam & hoc præceptum, scilicet celebrandi cum vestibus sacris, est humanum.

Rejicitur  
probatio  
Vasquezii.

Sicut ergo Ecclesia justè prohibuit, ne sine vestibus sacris celebraretur, etiam ad observandum præceptum divinum sumendi Viaticum, ita statuere potuisset, ne in articulo mortis infirmus communicaret sine jejunio. Quo factò excusaretur ille à præcepto Viatici, sicut jam excusatur, quando sine vestibus sacris deberet celebrari: non enim obligat illud præceptum divinum, nisi quando commodè potest adimpleri; tunc autem non posset commodè adimpleri.

Ecclesia  
posset  
infirmo  
non  
jejuno  
prohibere  
Viaticum.

Sic qui excommunicatus est, & non pendet ab ipso absolutio, minimè peccat etiam si per multos annos non communicet: quia præceptum divinum singulis annis communicandi (si tale detur) non obligat ut cum excommunicatione communicet contra Ecclesiæ prohibitionem. Neque hoc est, præceptum humanum prævalere divino; sed tantùm Ecclesiam præcepto suo constituere res in eo statu, ut sub his circumstantiis divinum præceptum non censetur obligare.

Cur autem Ecclesia potiùs unum prohibuerit, quàm aliud, non defunt rationes congruentiæ. Quippe necessitas communicandi infirmum non jejunium frequens est; celebrandi verò sine vestibus sacris rarissima; quandoquidem in Ecclesia servetur Eucharistia pro infirmis. Deinde major irreverentia est celebrare sine vestibus sacris, quàm post cibum communicare.

97.

Igitur constitutus in articulo mortis sive na-

turalis, sive violentæ, si aliter commodè nequeat (in quo scrupulosè non est procedendum) potest communicare non jejunus, imò debet, si ante non communicaverit; tunc enim urget præceptum divinum communicandi, aut certè Ecclesiasticum, cui cedere debere aliud præceptum de jejunio natura i, docet praxis Ecclesiæ, cuius meminit Concilium Constantiense sess. 13. ibi: *Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ servari, & servat quòd hujusmodi Sacramentum* (loquitur de Sacramento Eucharistiæ) *nec conficiatur post cenam, nec sumatur à non reclusis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesiæ concessio vel admisso &c.*

Unde non tenetur infirmus differre Communionem cum notabili incommodo in sequentem diem, ut tunc possit jejunus communicare: nec etiam cum incommodo differre summptionem medicinæ, aut cibi, vel curæ ut Eucharistia ad se deferatur noctu, ut notant Doctores communiter & satis declarata consuetudo, quæ est optima legum interpret.

Finito verbis Doctoris Subtilis 4. dist. 8. q. 3. n. 3. Dico quòd aliquis potest esse casus, in quo quasi generaliter licet accedere non reclusis, ut in infirmitate gravi, quando timetur periculum mortis imminens, tunc enim esset periculum negare infirmo, licet pranso, poscenti Sacramentum, cum sit Viaticum, & ideo dandum est ei, qui proficiat ex hoc mundo, ut per ipsum ducatur ad terminum.

Sed cum hoc satis constet, equidem à multis dubitatur, an infirmus in eodem mortis articulo sapiùs possit non jejunus communicare?

Dico, in eodem mortis articulo, quia si mutetur status morbi, ita ut priùs periculum mortis, in quo communicavit, moraliter evaserit, poterit in altero periculo, etsi postredie superveniat, iterum communicare non jejunus, ut plerique docent: jam enim ceteri potest periclitari velut ex alio morbo, in quo omnes concedunt illam licentiam. Quin imò etsi sit idem status morbi,

### CONCLUSIO IX.

Valde probabile est, & tutum in praxi, posse infirmum durante eodem periculo mortis sapiùs communicare non jejunum; v. g. post octo, vel decem dies.

**E** Nimverò permittitur ægroto pranso Communionem, non solum ut possit implere præceptum, sed etiam (inquit Diana tomo 1. tract. de celeb. Miss. resol. 75.) quia moriturus valde indiget tanti Sacramenti præsidio, & id sapiùs,